



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus I. De verbi Divini, seu Concionum sacrarum audiendarum
necessitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

DISCURSUS I.

*De verbi Divini, seu Concionum sacrarum
audiendarum necessitate.*

I. **V**ltimum est aliquibus, Urfam, cum catulos informes pariat, eos subinde linguâ lambendo formare, atque ita perficere opus suum, antea inchoatum potius, quam absolutum. Si ita res se haberet, dicerem, Deum voluisse nobis proponere imaginem eorum, quæ sacræ Conciones in animis nostris efficiunt. Nascitur homo ad vivendum vitâ Gratiæ in sacro Baptismi lavacro: malè tamen affectus, malèque formatus, ob perduellis concupiscentiæ fomitem, in eo regnantis, & naturæ destructæ perturbationem. Quid facit proinde Sancta Ecclesia, non contenta partu, quamvis nobili & eximio? En, Sacerdotum linguâ paulatim efformat opus nondum suis numeris absolutum, & destruendo hominem veterem, Adami imaginem, elaborat hominem novum, imaginem Christi JESU: atque ita bis Mater efficitur filiorum suorum: Mater in primo partu, qui actu uno absolvitur, infantis scilicet ablutione; Mater in secundo, qui non nisi cum vita finitur, institutione inquam; id quod nobis

R. P. Segneri Christi. Instr. Tom. I.

ipsa identidem in memoriam revocet illis Apostoli verbis, *Filioli mei, quos Gal. 4. 19 iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Atque hinc nascitur communis illa necessitas, audiendi verbum Dei seu Conciones & Hortationes: hæc siquidem instrumentum sunt à Deo electum, ad reparandum in nobis id, quod culpæ maleficio destructum est. Consideremus proinde Carissimi, utrumque, malam inquam, & ejus remedium. Malum, quod parit noxa; remedium, quo illi medentur Conciones; ut vos paretis animos ad libenter audienda, quæcunque vos in diversis familiaribus dissertationibus, seu discursibus docere constitui: neque enim arbitrarium vobis, sed necessarium est illa sine tædio audire salutaria monita, quibus Divinæ Providentiæ uti placuit ad salutem animarum vestrarum. Ita monet Jacobus Apostolus: *Cum mansuetudine suscipite instum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Dei verbum rami instar est alteri trunco institi, qui præparat nos ad vitæ æternæ fructus ferendos. Sed non in hæc rescit ramus trunco, si hic illum patienter non recipit. Aggrediamur nunc, si ita placet, primum è

A pun-

punctis propositis, malum inquam, quod peccatum in nobis efficit.

I.

II. Dei Providentia, in fingendo homine, id spectavit ut Mundum formaret; parvum quidem, sed vel ipso Mundo magno admirabiliorem, coniungendo non jam calum & terram, sed Spiritum, ac Corpus, partes nimirum à se invicem dissidentes; illam cæli genii, hæc brutis affinem. Peccatum autem, opponendo se cunctis Dei moliminibus, tam mirandum opus plane penitusque pervertit, faciendo ut in nobis Terra præsit Cælo, Corpus imperet, Anima serviat. Nemo non hominum hanc rerum perturbationem experitur; cum in se sentiat alienationem ab omni piarum actionum genere, pugnam & renitentiam contra omne, quod nos divina lex jubet. *Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*, S. Pauli verba sunt, miseram hanc & acerbam sortem experti. Et quamvis Servator noster ad curandum in nobis tam grave malum, balneum nobis divini sui Sanguinis in Baptismi Sacramento præarit, animum tamen ad hoc advertere oportet, quod hoc lavacro non ex toto sanemur, cum in nobis, etiam eo ablutis, prava illa ad malè agendum inclinatio perseveret, quam peccati fomitem appellamus.

Rom. 7.
18.

III. Puerulum cogitate, qui ludibundus per viam incedat, & fallente vestigio cœnosam in lacunam miserè prolabitur. In casu hoc duo observanda sunt; mala habitudo, quæ corpus prolapsi afficit; & sordes, quas cœnum aspergit. Mater clamore &

ejulatus filii excita accurrit; humo attollit, sic est, & absterfo cœno vestem aliam inspicit. Sed ea re omne malum non emendatur; tam enim puer languido adhuc & afflicto ex lapsu est corpore, ut ne movere se quidem, sine molestia possit, & tot ferè eundo gemitus, quot passus numeret. Sic & natura nostra, prolapsa cum Adamo, ejus vitio in peccati lutum incidit. Accurrit Mater nostra sancta Ecclesia, & nostrum quemlibet sacri Lavacri ope attollit, & non cœnum tantum abstergit, peccati in anima sordes, sed splendidissima etiam Gratia veste induit. Nec tamen ea re totum reparatur, quod casu illatum est, damnum: sentiunt enim omnes facultates nostræ prolapsionis huius mala, Intellectus maxime rerum ignorantiam; Voluntatis verò in malum propensionem. Consideremus utramque, ut mali magnitudine perspecta, tanto promptius media illi curando amplectamur.

IV. Narrat S. Clemens, Divum *lib. Rs. Petrum* Metadum hunc comparare locum cum domo fumo plena, in qua qui habitat, nec quod extra illam, nec quod intra illam est, videt. Perinde rudes sumus in pernoscendis, quæ hanc ad vitam pertinent, ac iniis, quæ ad alteram. Magna aestimamus & bona & mala hujus temporis, quia ante oculos nobis proximè obverlantur. Parva aestimamus bona & mala vitæ alterius, quia longius à nostris sensibus remota sunt: tertore non absimili illi, quo mare in tuentibus nigra videntur undæ, quæ distant longius, candida illæ, quæ extremo in litore decambulantium pedes lam-

Arist. Probl. sect. 23. q. 10.

lambunt. Nec tamen velim existime-
 ris deplorare me naturalem aliquam
 inscitiam, & congenitam tarditatem,
 quâ Mortalium plerique laborant. Hæc
 me parùm cruciat. Quæ circa terram
 hæret nebula, in nubes non cogitur,
 nec solem eripit: illa serenum mutat
 in turbidum, quæ sursum ascendit. Il-
 la mihi inscientia, illa hebetudo dolet,
 quæ circa illa est, in quibus anima sal-
 us agitur, circa quam tam fumus sto-
 lidi, ut ne cogitare aliquid salutare
 possimus. *Non sumus sufficientes cogi-
 tare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Mi-
 rum dicta! Nihil est facilius, quàm ali-
 quid cogitare. Tam fecunda mens no-
 stra est, ut momèto unio alias aliasque
 cogitationes concipiat. Ubi tamè de fe-
 licitate nostra æterna agitur, ne unicam
 quidem formare possumus; nisi Deus,
 auxilio illo, quod intra naturæ ordi-
 nem promptu semper paratùmque est,
 non contentus, Gratia suæ luce conge-
 nitas tenebras dispellat. Non malè
 in rerum, quæ intra naturæ ordinem
 sunt, cognitione quis cum terro & ni-
 tido speculo Intellectum contulerit;
 tam facile in se exprimit imagines re-
 rum, quæ obijciuntur. Sed in eorum,
 quæ supra naturam sunt, agnitione si-
 milis est speculo offuscato, cuius fuligi-
 nem si Deus non absterferit, ne unam
 quidem earum ex ordine fingere
 poterit.

V. Hæc tamen lapsæ naturæ insci-
 entia malorum ejus minimum est:
 S. Th. 1. *Natura enim humana, si rectè Angeli-
 2. q. 105. cus sensit, magis corrupta est per pecca-
 ar. 2. ad tum, quoad appetitum boni, quàm quoad
 3. cognitionem veri.* Major est plaga, quâ

Voluntas sauciata est, adèò quidem,
 ut nonnunquam optabile sit, mentem
 habere obtusam, cùm aliunde volun-
 tate sumus tam perversa. Sapienter *Plin. l. 8.
 natura Aspidi oculos debiles tribuit, c. 23.*
 nec illos in fronte, ut homini, sed ex
 temporum utroque latere, ut in mi-
 nis veneno suo iis nocere possit, quos
 obvios haber. Sic non parùm nobis
 commodat illa vel ignorantia, vel ob-
 scura notitia, quæ cetero quin tam gra-
 ve supplicium est. Hinc colligere li-
 cet, quantum malum sit voluntatis no-
 stræ pravitas, cui comparatæ tenebræ
 optabiles sunt. Idque tanto magis,
 quòd voluntas Appetitui quodam ve-
 lut fœdere juncta, rebellis hujus servæ
 vires vehementer auget, eà omnino rati-
 one, quâ seditiosæ plebeculæ vires
 Nobilium accessione plurimum cres-
 cunt. Atque hoc voluntatis pravæ cum
 indomitis facultatibus animalibus fœ-
 dus, tyrannidem subinde illam consti-
 tuit, quam S. Paulus peccati legem dixit.
*Video aliam legem in membris meis re- Rom. 7.
 pugnantem legi mentis meæ: legem vi- 23.*
 vam, non mortuam, quæ id circo non
 suadet tantùm, sed vi adhibita propè
 cogit: *Captivantem me in lege peccati,
 que est in membris meis: legem tam fal-
 lere doctam, ut majori se amore ab iis
 amari faciat, quos tractat inhumani-
 us: verbo legem, quæ toties inducit
 hominem, ut sanctissimam Dei legem l. 11. Civ.
 6. 28.*
 violet, constituendo se Idolum, Amo-
 ris proprii manu, ut S. Augustinus lo-
 quitur, supra Dei contemptum, ere-
 ctum.

VI. Hoc est debitum à primo Pa-
 rente nostro Adamo hereditatis instar

nobis relictum. Pessimum autem est, quod ad hanc tam magnam sortem principalem de nostro nos longè plurimum addamus, iis noxis, quas nulla

Hom. I. non die admittimus. Ille, S. Joannis ad Neoph. Chrylostomi verba sunt, ille initium in-

duxit debiti, nos senus auximus posterioribus peccatis. Atque hic observare vos velim, Dilectissimi, quodvis peccatum à nobis admissum, ita affirmantibus Sanctis Patribus, proportionem quadam ejusdem omnino perturbationis causam esse, cujus in tota natura humana causa fuit peccatum à primo parente admissum. Atque hinc est, quod, cum is, qui peccat, nullo non die admissis novis delictis augeat vires pravae propensionis, identidem etiam res suas deteriore loco esse faciat. Hæc porro prava propensio ut nascitur ex delictis jam perpetratis, ita præfagit complura etiam deinceps perpetranda. Ratio ejus rei est, quia augeat tenebras nostræ ignorantia, sic nos exoculando, ut in ipso meridie Sanctæ nostræ Fidei

agenda non pervideamus. Impegius meridie, quasi in tenebris. Et verò, an non quotidiana id vos docet experientia? Non desunt complures à Christianorum numero, qui etsi credant, esse æterna Inferorum supplicia, & vel unicum peccatum gravius admissum, sufficere, ut in ignem illum carcerem nunquam exituri conjiciantur, eâ tamen sunt præfidentia, ut non horreant, assiduo peccatis obnoxii vivere, minufque eos vita scelerata pudeat, quam insanos Mahometi cultores; quin eò nonnunquam delabuntur insaniam, ut æternos rogos minitantibus responde-

ant: *Patientia! fiat quod Deus vult.* Pessimam dementiam! estne invenire unum aliquem, qui in ipsa densissima Infidelitatis nocte minùs videat, quàm ejusmodi Christianus in Fidei lux meridie? Quod autem horrorem augeat, istud est, quod ita respondeant homines ceteroquin haud quaquam stolidi: unde illis amentibus mihi perfimiles videntur, qui uno tantum certo in genere delirant; & idcirco, cum aliis de rebus agendum est, prudenter disserunt; ubi autem illius generis mentio incidit, circa quod læsi sunt, miris statim modis ineptiunt. Videte hominem, in rebus emendis, vendendis, permutandis solertem; in familia, & re domestica procuranda industrium; in periculis providendis & evitandis cautum: hic ipse, tam in animæ suæ negotiis est ignavus & incurius, ut nullam habere videatur, semper in iis, quæ ad alteram vitam pertinent, providendis minùs oculus, & in iis negligendis magis stultus.

VII. Ut autem tenebras intellectui peccatum offundit, ita prava propensiones augendo, voluntatem quoque suis in malis indies magis obfirmat, sic, ut illa, etiam cognita ac perspecta, vitare tamen pensi non habeat, & licet meliora videat probetque, sequatur tamen deteriora; quæ ipsa fuit causa, ob quam Philosophus Laërtius semiebrio comparavit: licet enim hic, quid fugiendum sit, videat, quia tamen cognitio illa tenuis admodum est & imperfecta, illud non fugit. Itamutua, sed valde pernitiola, ope se juvant Voluntas depravata, & Intellectus excæcatus ad damna.

damna gravissima sibi inferenda: Voluntas quidem, novarum culparum accessione tenebras Menti offundendo; cæca verò Mens voluntatis obstinationem adaugendo.

VIII. Hæc est infelix cujusvis nostrum conditio, quam debemus partim peccato, in quo nascimur, partim peccato, in quo deinceps vivimus, naturæ perverſæ pravam aſſuetudinem adjuſgentes. Divina autem Providentia, pro ſua infinita Bonitate, dum malis noſtris mederi vult, & quæ in deterius mutata reſtaurare, ab eo, quod omnium peſſimum eſt, & de quo hæcenus dictum, initium ſumit, illique curando ſacris præcipuè Concionibus utitur, quod ſecundo loco vobis demonſtrare conſtitui, ſi potè benevolas aures præbetis.

II.

IX. Et quidem ad tenebras ignorantia quod ſpectat, noſſe oportet, Deum, ſi vellet, poſſe nos docere, intus tantùm nobis loquendo, ſicut veteri in Lege Prophetis ſuis ipſe locutus eſt: ſed non hæc ipſi ratio placuit; vult homines per homines docere, præparando eos. etiam hoc ipſo demiſſionis actu ad diſcendum majori cum ſuo emolumento. Ita videmus, etſi Servator noſter ipſemet celo deſcenderit, locutusque ſit S. Paulo, ut in ſalutis ſemitam eum reduceret, deinceps tamen inſtituere virum non voluiſſe, ſed inſtituendum *Act. 9.7.* ad Ananiam miſiſſe. è Diſcipulorum ſuorum numero unum: ut intelligeremus, medium, quo Deus ad animi noſtri tenebras pellendas plerumque utitur, eſſe Inſtitutionem alienam; quod

quidem medium tam eſt cum in finem conſuetum, ut S. Auguſtinus exiſtimaverit, aliud non eſſe, quàm tentare Deum, velle ab ipſo colluſtrari, & nolle audire prædicantem. *Non tentemus Prol. l. 1. Deum, ut nolimus prædicantem hominem de Doctr. audire.* En igitur legem generatim Chriſtæ Eccleſiæ, & in hac credentium cuilibet, latam: *Audi, Filia, & vide, Pf. 44.* Audi, & vide: quod perinde erat ac dicere: ſubmitte priùs aures ad audiendum eum, qui te docet, & ſubinde etiam oculos aperies ad videndum, quod antè latebat. Quare ſi ex me quaeritis, quæ cauſa ſit tam miſerè laborantis inter Chriſtianos Morum honeſtatis, mox ſine hæſitatione pronuntio; cauſam eſſe ignorantiam: *Ignorantia, Mater cunctorum vitiorum.* Si ignor. porò quaeritis, quis fons ſit tanta vel inter Chriſti aſſeclas ignorantia, qui tamen dicti ſunt filii lucis? *ut Filii lucis Eph. 5.6.*

ambulate: non minùs prompta eſt reſponſio: Nascitur hæc ex eo, quia vel non eſt, qui Dei verbo Chriſtianos erudiat; vel quia non eſt, qui docentes ſedulò audiat. Verbo: non vident, quia non audiunt: *Audi, Filia, & vide.*

X. Hinc apparet, quàm deſipiant illi, qui cuperent Sacerdotem inter Sacrum peragendum nunquam verba ad populum facere; multòque magis cuperent, ne unquam eorum ad templa viri accederent Apoſtolicæ, magna contentione ad Salutis æternæ curam torpentes excitaturi, præclara hac exculatione uſi, ſic non ad Chriſtianos, quales ipſi ſint, ſed ad perfidos Turcas eſſe dicendum. O verè miſeros! vel enim ſic illi loquuntur,

tur, naturali suâ intelligendi perspicacità confisi, quâ abunde cognoscitur sint, quid ad Animæ salutem consequendam necessarium sit; vel ita loquuntur, fidei suæ lumine nixi? Si illud, insani sunt, tantòque magis insani, quo sibi sapientiores videntur: neque enim solum naturæ lumen quoquo modo sufficit ad Animæ nostræ necessitates nobis manifestandas, aut modos suggerendos, quibus his medeamur. Ut cernamus, quæ propinqua sunt, simplici vitro facis juvari potest oculus: remotiora non nisi geminato nobis distinctè representantur. Eadem est rerum noscendarum ratio. Ad res caducas, quæ circa nos sunt, pervidendas, Ratio naturalis sufficit: ad ea quæ æterna sunt, & tam procul à nostris sensibus remota, perspicenda, non sufficit. Imò, si de his homo sola Ratione adhibita disputare velit, & sibi, & aliis illas prorsus alias, quàm re ipsa sint, proponet: id quod tor Antiquis Philosophis accidit, qui solius naturalis luminis acie confisi, in scdissimos errores prolapsi sunt; minusque de Deo cognoverunt in tantilla illa sui veri scientia quàm rudissimus quisque inter Christianos hodie de eo intelligat. Præter Rationem multo magis Fidei lumine opus est, cujus ope eò pertingere hodie vel puerulus potest, ut dicere cum veritate possit: *Su-*

Psal. 118.
100.

per fenestras intellexi.
XI. Si autem hi institutionis alienæ contemptores Fide nituntur, quæ tanquam Christiani donati sunt,

in hoc quoque decipiuntur: *Declaratio Sermonum tuorum illuminat:* *Psal. 118.*
ut Regius Psalter loquitur. Id quod lumen nobis præbet ad agendum, non est Fides illa tantum in Sacro lavacro nobis infusa, sed magni hujus doni, & omnium eorum, quæ divina nobis lex præcipit, *Declaratio Sermonum tuorum illuminat.* Non satis est, memoriâ tenere Symbolum Apostolicum, memoriâ tenere Decalogi præcepta: necesse est insuper horum explicationem audire; absque hoc perseverabitis in vestris tenebris, & ne passum quidem unum in salutis semita promovebitis: non cognoscetis Deum, nisi quantum sufficit ad eum offendendum: non scietis plus de Christo, quàm quod satis sit ad eum blasphemias irritandum: non plus de peccato, quàm quod ad illud admittendum sit satis. De cetero hærebitis in vestra illa nocte tam in gravissimo salutis negotio, quàm in pernoscendis ejus consequendæ mediis: eritis in templis præ quovis Ethnico irreverentes; domiverò vestræ ipsius belluis intractabiliores.

XII. Alloquor hic præcipuè illos Patresfamilias qui uxores suas mittunt ad Sacrum, intra quod Sacerdos ad populum verba solet facere; ipsi verò illud audiunt, sub quod non est, qui verbum dicat. Alia omnia fieri convenit. Si cui ex familia Dei verbum audiendum est, audiendum est Capiti, in quo rerum divinarum inscient

ph-

plurimum damni affert, cum hæc non ipsi uni, sed toti familiæ noceat. Cometa nunquam majora mala portendunt, quam cum medium cali occupant. Tum enim omnem in partem malignos suos radios diffundunt, & pluribus simul populis ac regionibus funesti sunt. Non aliter eorum ignorantia, qui locum domi altiorem obtinent, plus quam aliorum, affert detrimenti. Volo proinde, ut omnes ad audiendum Dei verbum conveniant, sic, ut si tantum mihi juris esset, facerem & ego, quod S. Casarius Arelatensium Præsul, qui cum inter sacrificandum pro concione dicere volebat, templi januas ocludi iussit, nequis inde se subduceret. Sæpe enim eorum nemo desideretur, qui præ ceteris sapit, seque ita sapere ostendat non se subducendo. Nemini satis sit, rudem duntaxat Mysteriorum Fidei nostræ habere notitiam, & modi quo Sacramenta suscipienda sunt: nemini inquam sit satis, Peristromata complicata oculos sui spectaculo non oblectant. Sic Sanctissimæ Religionis Mysteria, quæ Divina Sapientia admirabili ratione invenit, Divina verò Bonitas ac Potentia prodigiosissime perfecerrunt, quia à maxima Christianorum parte non nisi obiter & perquam confuse cognoscuntur, perinde ferè eos afficiunt, ac si penitus ignorarentur.

XIII. Neque tamen hæc sufficit Concionum auditarum fructus: hæ enim non solum dispellunt offusas animo à peccato ignorantie tenebras, sed vo-

luntatis etiam malè affectæ perturbationem emendant: *Lex domini inmaculata convertens animas.* Propè Nilicataractas feræ non morantur, absterriatæ perpetuo aquarum ex alto cadentium fragore: Equidem si & vos festà qualibet luce ad verbum divinum audiendum accesseritis, intelligetis ex me crebrò inculcari noxæ lethalis gravitatem, æternùm pereundi pericula, Divinæ Justitiæ rigorem, & quæ sunt alia generis ejusdem, momenti sanè quàm gravis, de quibus agere institui: hoc autem si fiat, prodigio simillimum foret, si non terrentur pravæ propensiones vestræ, nec illo sinu migrarent, in quo ipsis porrò quietis esse non liceret. Non sunt rara hæc Divini verbi auditi prodigia. Evolvite, si lubet, Sacras historias, & invenietis, sæpe Deum verbi sui ab hominibus propositi medio usum ad mutandos hominum animos, mentesque; eosque ex bestiis, quales fuerant, in Dei filios convertendos.

XIV. Scribit Theodoretus, Persas, antequam ad eos Evangelii fama perveniret, tam extra omnes honestatis & temperantiæ limites fuisse evagatos, ut non sorores tantùm, sed filias etiam, aut matres sibi conjugio copularent; tam insuper crudeles fuisse atque immanes, ut pro eo quòd terræ mandarent vitæ functorum cadavera, canibus illa devoranda objicerent. Eadem barbarie, qui ad Caspium mare incolebant, humanis cadaveribus canes suos pascebant: Scythæ verò eodem tumulo vivos mortuosque

tuosque condebant. Omnium immanissimi Massagetae non usu solum sed lata lege, lenes suos mactatos in laetis conventiculis devorabant. Omnes tamen ista Nationes, & plures aliae aut aequae, aut etiam magis barbarae, Apostolorum, aut eorum qui in Apostolico munere ipsis successerunt, praedicatione tam in alios homines mutati sunt, ut non tam homines, quam Dei filii dici mererentur. *Ego dixi, Dii estis, Psa. 81. 6 & filii excelsi omnes.* Vos igitur ipsi iudicate, quae in vos Divini verbi vis ac robor sit futurum, qui Dei beneficio procul a barbarie, ad omnem estis humanitatem exculsi.

XV. Videor mihi audire, quid tacite vobiscum contra hucusque dicta missitetis, nimirum, quae enarrata sunt, prodigia tunc contigisse, cum vel Apostoli, vel eorum successores illustri sanctitate viri, de rebus divinis verba facerent; vos quoque nihil cupere vehementius, quam ejusmodi audire Conciones, si esset hac aetate, qui tales haberet. Mostreatis enim vero, quam rudes in hoc negotio sitis. Quod hominis animum in melius mutat, non externa hominis, sed interna Dei vox est. Lingua hominis altius non penetrat, quam sono ad aures; Dei vox est illa, quae profundius, & ad ipsum usque cor pervadit: *Dabit voci suae vocem virtutis.* Multorum trita sermone res est, Malum Daemonem aliquando energumeni ore de aeternorum bonorum excellentia disserendo cunctis audientibus lacrymas doloris vehementissimi elicuisse. Si vera narratur, an vos affirmabitis hos ad meliora a malo genio fuisse per-

Psal. 67. 34.

ductos? Nihil minus, Deus, qui nequam illum spiritum ita loqui cogebat, subinde Gratiae suae auxilium opportunè subministratis in audientium animos penetrabat: absque hoc enim & illius mali Daemonis, & cujusvis etiam alterius hominis vox plus virtum se solà non habuisset ad trahenda & permovenda hominum corda, quam succinum frigidum habeat ad straminis culmos attrahendos. Quidquid caloris & virtutis ad trahendum habet concionantium vox, à Gratiae divinae auxilium habet, quae hominis verbis Deus adjungit, efficiendo ut non hominis, sed Dei verba evadant. *Nun-Jerem. quid non verba mea sunt quasi ignis? dicit Dominus. Audite eventum hoc in genere proflus singularem, & excitate animos vestros ad insignem fructum vel ex una sola concione fortuito audita hauriendum.* 25. 28.

XVI. Refert Heroldus in Promptuario, fuisse hominem, inter suos & opibus & magna autoritate pollentem, sed rectae Liberosum educationi parùm addictum, Tres numerabat; mares duos, foeminam unam; illorum natu minor ita denique depuduit, ut turpiter ipsam suam sororem deperiret, nec antè insidiari huic destitit, quam & blanditiis, & donis expugnatam in flagitium impelleret. Advertit fratrem natu majorem & fumo & fetore prodente, stygius ignis, qui miseros amantes depalcebat: nec tamen antè tam pudendi eos damnare confortii aurus est, quam suismet oculis, quod erat, denique usurparet; hinc ad utrumque, & fratrem praecipue conversus, acerbe

acerbè in eum invehens est, proditorem appellando, cum minis, rei totius seriem Parenti enarrandi. Actus ea re in furias Juvenis, partim exprobrationis impatientiâ, & detecti seeleris pudore, partim malorum impendentium metu, pugionem, quo accinctus erat, arripuit, & fratre natu majore crudeliter interempto fugâ se lubdaxit. Parens re intellectâ serò advertit, quis tandem educationis nimium soluta finis esset; & sive vindictâ cupiditate, sive pudore, sive studio ne in tanto flagitio partem habuisse crederetur, Juvenem fratricidam planè penitusque exheredavit. At hic viperâ instar, pro plaga modo veneni vim exerens tam desperata cepit consilia, ut noctu Parentem in lecto deprehensum, eodem pugione, jam cognati sanguinis avido, tot vulneribus peteret, quorilli conficiendo satis essent. Perpetrato parricidio tam de divina desperans miseratione, quàm humane Justitiæ promerita supplicia fugitans, mutato nomine, ignotas terras petiit, freno omni vitiorum generi permissio; sic ut non Sacrorum modò Mysteriorum, Eucharistiæ ac Pœnitentiæ usu abstineret penitus, sed ne Sacrificanti quidem Sacerdoti unquam adesset, perinde ac si jam ne Animam quidem haberet. Cùm tam desperato loco hominis res essent, eò, ubi ipse morabatur, è sacra aliqua familia vir venit, qui per verni jejunii dies ad concionem diceret; id quod is tam egregiè præstitit, ut nemo non, qui audierat, de eo & præclare sentiret, & loqueretur, sic ut etiam infelix iste, experturus an verà narrarentur, statuerit semel dicentem

R. P. Segneri Christi. Instr. Tom. I.

audire, non nisi ad curiositatem pacendam. Venit igitur, & argumenti suavissimi dissertationem audivit, de longanimi Dei miseratione, quâ Peccatores expectet, & scelerum suorum penitudine ductos, amantissimè recipiat. Tela, non verba videri poterant, quæ prima audiit; adeò intima animi penetrarunt. Decrevit eo momento, animum confessione expiare, idque re ipsa quamprimum è sacro suggesto Præco ille descendit, præstitit: & quia hic, priusquam à noxis eum exolveret, aliquanto tempore coram cruci affixi Servatoris simulacro hominem detinuit, ut ad tot tantorumque scelerum veniam animo sincerissimo petendam induceret, tantis modico illo temporis intervallo incrementis dolor de admisis auctus est, ut in vestigio vivere desineret, magno suo bono: cùm enim die mox consequente sepulchro cadaver esset inferendum, institit apud Auditores sacer Præco, ut demortui Animam precibus Deo cuncti commendarent: quod dum fit, in oculis omnium nivei coloris columba apparet, quæ post aliquos per templum giro, schedâ rostro excidere ad pedes Religiosi illius viri passa, videri desit. Sustulit schedam Sacerdos, & cùm eam cunctis audientibus alta voce legisset, ex ea intellectum est; Animam illius Pœnitentis, doloris maximi vi expiatâ, lacrymis suis omnia, quantum vis atrocitatis & exormia delicta sic abolevisse, ut illo jam momento Cælum perierit Deo clarè viso æternum fruitura, & gratias in omne deinceps ævum pro salutis beneficio tam præter morem sibi collato actura.

B

XVII.

XVII. Scio, hac in historia nihil perinde vos admirari posse ac debere, quam sinceri ac perfecti doloris ac contritionis vim. Sed hic ipse dolor unde ortus est? nonne ex verbi divini virtute, quæ Divinæ Gratiæ præsidii ad-jura durissima etiam humanorum

Hebr. 4. cordium saxa diffringit? *Vivus est sermo Dei, & efficax*, ut Apostolus loquitur, Vivus est, quia semper potest ad agendum impellere. Efficax vero, quia plerumque re ipsa impellit, & facit ut fiat, ad quod impellit. Tam virtus autem ejus, quam efficacia illis ex præsidii provenit, quibus his in occasionibus magis, quam in ullis aliis Deus nos instruit. Sunt qui existiment, non alio, quam lucis adminiculo, cælum & astra beneficiorum suorum influxum in hæc inferiora diffundere; sic ut sola lux caelestium corporum cum sublunariis commercium stabiliat & continuat. Non affirmabo quidem, Deum non aliis, quam prædicationis, tanquam caelestis lucis mediis Gratiæ suæ victricis ac effectricis dona in nos derivare; cum probè perspectum habeam, plurimis illum aliis instrumentis uti posse ad hæc in nos beneficia conferenda: *Alia enim multa similia præsto sunt ei*; illud tamen citra dubium pronuntiabo, Sacras Con- ciones medium esse, ex iis, quibus Deus & frequentius, & potentius ad pervincendos Peccatorum animos utatur. Atque idcirco, cum de Deo differenter aliquem auscultatis, cogitate duos esse Præcones, qui verba faciant, externum unum, cujus vox ad aures allabatur; internum alterum, qui loquatur ad cor. Si Deus ad cor non loqueretur, possent

Job. 23.
14.

quidem homines fortis perstreperere, sed non ferire. Experientia docuit, non alias distinctius suos percipi, quam cum Zephyrus spirat, propterea quòd tum & aura, quam permeant, purior sit, & quòd placidus ille ventus æquabili motu per longius eos spatium deferat. O quam amabilis & salutaris Zephyrus est Divini Spiritus gratia! Illa concionantium verba ad animos nostros deferat; illa ipsum etiam cor expurgatum facit, ut sic ejusmodi verba admittantur sicut in se sunt, quin à pravis animi propensionibus immutentur. Hæc præter Deum, cordium nostrorum supremum Dominum, efficere potest nemo. Ipse in his scribere potest legem suam, sicut per unum suorum Vatum pollicitus est. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam.* Ipse, cum dara sunt, mollire illa potest, ut characteres scribentis recipiant, suavitati Gratiæ suæ conjungendo vim & efficaciam tantam, ut nulla ipsam voluntatis obstinata pervicacia eladat. Adamantum durities rori eliquato inciditur: Malleorum ictibus invicti, quis credat? cedunt huic roris spiritui. Unde mirum videri debet nemini, si non nunquam verbo uno expugnata est Peccatoris in sceleribus inveterati contumacia; verbum fuit Omnipotentis, quod roris instar *Quasi ros à Domino Mich. 3.* tanto penetravit altius, quòd magis tantè se insinuavit. Huic proinde adscribenda sunt omnes istæ in melius mutationes, nec istæ tantum, sed omnis omnino motio interna, quæ Audientes inducat ad decernenda secum profutura ad salutem.

XVIII. Non tamen interim negaverim, quò quisque divini verbi Præco majori est virtute ac sanctimoniâ, hoc libentius Deum illo ut instrumento uti, quàm aliis, qui tales esse non laborent. Non tamen ipse huic se legi semper astringit, ne vulgo existiment, in animorum conversionibus majorem partem humanæ industriæ deberi: vos quoque, cum dicenti operam datis, par non est attendere quis sit homo, qui loquitur, sed quis Deus, qui per illū loquitur. An vos, cum pecuniam, cum merces accipitis, scrupulosè examinatis, quis sit, qui dat; an verò satis vobis est, monetam, merces bonas esse? Idem vobis in re nostra faciendum. Si salutaris est doctrina, acceptate illam à quocunque prolata, & non in docentibus, sed in Christo Iesu spem reponite, qui Sanguinis sui pretio eam impetravit gratiam, ut nos etiam verbis nostris commodare vobis possimus. *Vobis donatum est pro Christo, ut in eum credatis: ut aiebat Apostolus, Ut Conciones sacræ in vobis fructificent, donatum vobis est, non in Petri, non in Pauli, non Joannis, sed in Christi gratiam, pro Christo, atque idcirco in illo, qui idem omnibus est, fiduciam reponite.*

XIX. Apertissimum proinde est, quanta vobis incumbat necessitas audiendi verbi Dei, ut idoneos vos redatis ad accipienda à Deo illa auxilia, quæ hoc medio sanctissima ejus Providentiæ largiti vobis destinavit potius quàm per alia quæcunque; reparando hoc ratione in vobis tam in Intel-

lectu, quàm Voluntate, quidquid peccato erat labefactatum, *Misit verbum suum, & sanavit eos.* *Psal. 106. 20.*

XX. Ex his porro, quæ disputata sunt hætenus, liceat mihi velut aliud agendo colligere, quo modo cum fructu audiendæ sint Conciones; earum de hoc consultò, alio die agendum est. Est autem hic modus audire attentè, & reverenter. Attentione imprimis opus est; quia, ut dicebamus, dum in Templo peroratur, duo sunt qui differunt, Sacerdos ex Altari, aut sacro suggesto, Deus de celo. *Spiritus Domini locutus est per me.* Siquis jam vestrum tam non auscultat attentè Sacerdotem discrentè, ut etiam oculis quaqua versū vageatur; quin ut loqui & ipse velit, cum audire tantum oporteret; non existimet hic quidquam se emolumentum ex auditis Concionibus domū relaturum, Id quæ hac de causa, quia Deus non vult solus loqui sed ea tantum affirmare & retinere, quæ Minister, ejus pronūciat pro solenni illo suo more, quo ex terrioribus, ab Ecclesia adhiberi solitis mediis jungit auxilia sua interna, externis illis respondentia; unde qui hominem loquentem diligenter non audit, in animum non inducat, quòd Deum loquentem sit auditurus: atque ita hæret in suis miseriis, antiquis malis pessimum hoc prognosticum adjungendo, quod est, nolle audire salutaria suadentes; quod quidem Peccatoris jam Repti signum est, haud aliter, ac apud medentes funestus mortis prodromus est sarditas quæ morbo super-venit. *Qui illusor est, non audiet, cum 1. arguitur.* *Prov. 13.*

XXI. Nec attentè tantùm, sed etiam reverenter Concionantes audiendi sunt, agnoscendo & reverèdo in Ministro ipsum Deum, & Principis aut Judicis

1. Cor. 5. Authoritatem in voce Praconis. *Tanquam Deo exhortante per nos.* Anno à

1. ut. ann. Christo Servatore M D XCVI, cum *1. ut. ann.* Sinarum Imperator ad Japoniæ Regem *1. ut. ann.* literas misisset, hæ purpurâ involute sunt, & à Sinenſibus tanto ſtipantium numero delatæ, à Japonibus verò eà exceptæ pompâ, quâ Imperatorem ipſum iis in literis adventantem excepiſſent. Si S. Auguſtinus res ita geſtas narrari audiret, minùs ille in re noſtra reverentiæ non admitteret; certè jam aliàs pronuntiavit, non minoris noxæ reum eſſe, qui negligenter Dei verbum audit, quàm qui Chriſti Corpus irreverenter humi abjici ſinat.

Hom. 26. ex 50. *Non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui Corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiferit.*

XXII. Si honor Dei verbo debitus, hoc ipſo, quòd Dei verbum ſit, hanc à nobis reverentiã non obtineret, eam faltem à nobis impetrat conjunctum honori tor titulis debito noſtrum et commodum. Quid emolumenti ex illis Concionibus referre cogitatis, quas auditis ſomniculoſi, pertæſi, animo vagi, aut in negotia domeſtica intenti? Olcitantès malè auſiunt, ſi Philoſopho credimus. Quid volumus? Non deſunt vèſtro numero, qui quæ vel ex altiore loco, vel ex Altari dicuntur, ſic audiant, ut in ſine rogati, quâ de materia Sacerdos egerit, reſpondere quærenti non poſſent. Magno idcirco prodigio res non careret, ſi ea ratione ad melio-

ra ſe converterent. Nunc quidem miſeri non agnoſcunt damna, quæ animæ inferit negligentia tam ſupina; cognoſcent tamè ſub illam horam, ſub quam audient legi ſeriè cauſa, cuius ipſi ignavâ illâ ſocordiã authores fuere. Tunc diſcent, quantum lucis Deus paratus fuiſſet communicare ad pellendas ignorantia, quâ laborant, tenebras; quo celefti rore duritiem cordis eorum emolliſſet, ſi auſcultare voluiſſent hortationem illam, quam non Sacerdos, ſed Deus, ut dicebam, Sacerdote ut inſtrumento uſus, ad eos habebat. Agnoſcent bona, quæ fuiſſent facturi: dolorum ſerium, quo ſe de admiſſis accuſaſſent; pia animi ſenſa, quibus inter Sacra Myſteria uſurpanda abundaſſent; reverentiã, quâ rei divinx in Templis interfuſiſſent; ſedulitatẽ in educandis liberis, quam adhibuiſſent; verbo, vitam homine Chriſtiano dignam, quam duxiſſent; omnes enim fructus iſti modico illo ſemine divini verbi, ab iis putidè neglecti, continebantur. Non ita ſit, AA. Dilectiſſimi; nimis quàm manifeſtum nunc hominis Reprobi argumentum, olim autem deſperati furoris cauſa futura eſſet hæc, quam deteſtor, negligentia. En igitur quem deceat eſſe primum primæ hujus meæ Diſſertationis fructum, ut frequentes deinceps mihi dicenti adſitis, cum attentione & reverentiã, tanquam filii; *Psal. 33. Venite filii, audite me.* Non curioſa, ſed *Timorem Domini docebo vos.* Hunc ſi didiceritis, erit, cum agnoſceris, quàm rectè à vobis traductæ in Templis ſint hoæ, quas interim alii aut lucris inutilibus, aut ludis ineptis impendunt. Animarum bono

tem-

Probl. ſect. 11. n. 44.

Psal. 33.

12.

temporis momenta omnia concessa
funt; & tamen negotiis omnibus ge-
rendis tempus superpetet: illi, quod præ-
ceteris agendum est, nullum supererit.



DISCURSUS II.

*De causis modici Sacris Concionibus auditis
profectus.*

I Axima laus, quæ Dei
verbo tribui potest, ea
est, quod ipsum Deum
laudatorem habuerit.
*Fecisti omnia in verbo
tuo:* sic aivina Sapientia loquitur. In-
dicat autem his verbis, quòd, sicut
Verbum Dei increatum princeps est
causa rerum omnium factarum: *omnia
per ipsa facta sunt;* ita Dei verbum pra-
dicatū causa sit instrumentalis nostræ
reparationis, seu refectionis: *Fecisti
omnia in verbo tuo.* Hoc si in peccato-
res incidat, non solùm mortuos morte
culpæ, sed qui inveteratis sceleribus
effecti sunt compages quædam ossæ, eâ
vi pollet, ut ossa hæc arida vestire ite-
rum possit veste carnea, & novam iis
viram ac spiritum inspirare: *Ossa ari-
da audite verbum Domini;* si autem in
animas incidat, defectuum suorum
morbis infirmas, & agrè spiritum tra-
hentes, mutare illas potest in filias Dei
electas. *Illos dixit Deos, ad quos sermo
Dei factus est.* Sic Christus Servator
iplemet affirmavit, ut, si S. Thomæ
credimus in hæc verba commentanti,
significaret, illos, qui prius quàm Dei
verbo audiendo operam darent, vix
hominum numero censerì poterant,
illo audiendo velut in Deos mutandos,

multâ videlicet divinæ per multipli-
catam Gratiam participatione. Hinc
Dei vox comparatur calamo scriben-
tis: *Lingua mea calamus scriba:* nec
enim vox est transiens, & mox defici-
ens, quæ quo momento nascitur, eod-
em occidit; sed est vox permanens ac
stabilis, quæ animis, & cordibus im-
pressa manet per omnes ætates, per-
suadendo cunctis Nationibus, quovis
tempore, omni loco, res tam sublimes
ad credendum, tam arduas ad speran-
dum, tam factu difficiles, quales sunt
re ipsa illa, ad quas credendas Religio
Christiana tantam humani generis
partem induxit. Repetere vilius est
hoc loco ac tempore, quæ jam in prima
Disseratione vobis patefeci, ut viam
mibi sternerem ad respondendum non
levi argumento, quo jam tum in ani-
mis vestris assertionem meam impu-
gnabatis; nimirum, non videre vos
illa, quæ exaggerabam, Divini verbi
prodigia. Tot passim sunt hujus verbi
pracones, toties pro concione illi di-
cunt, ubi autem fructus? Si Sacra Con-
ciones primis illis seculis magnes e-
rant, qui etiam ferrea corda ad se rape-
ret, nec esse est dicere, Magnetè hunc
suam hodie trahendi vim amisisse, cum
illo jam nemo trahatur. Nimis quàm